QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-sextâ Januarii.

M. GERMANO PREAUX, Doctore Medico, Professore Regio, Præside.

An morborum dentur curationes magneticæ?

I.

SANARE morbos, Medicorum omnium finis est; non omnium, cum ad propositum finem tendunt, una eademque est ratio. Hi legitimâ medendi methodo ducti, quæ vident indicari remedia, morbis adhibent; alii haud vulgarem tentantes viam, per verba, characteres, sculptas imagines, amuleta; quidam per curationes magneticas morbos invadunt. [a] Curationes magneticæ illæ sunt, quas citra contactum corporis, propter occultum quemdam remedii cum ægrotante consensum fieri perhibent. Magneticas propterea dicunt, quod magnetis videantur vim ac efficientiam æmulari. Harum curationum talia ponunt principia. Sunt in rerum universitate, sympathiæ plures, quæ astrorum influentiis acceptæ referendæ sunt; has [b] sympathias experiuntur quæcumque ejusdem astri dominio subjacent; per totum [c] mundum diffusus est spiritus quidam universalis, quem magnum magnale vocant, qui tanquam pararius ac proxeneta rerum sympathicarum etiam summe dissitarum communicationi servit. His positis principiis, curationum magneticarum fundamentum esse volunt mumiam, id est [d] substantiam levem, tenuem, æthercam, cuique pro naturâ suâ ingenitam, affectionibus virtutibusque corporis imprimis locupletem. Hujus substantiæ portio, nonnunquam à proprio subjecto in alienum migrat: [e] corpus quo tanquam vehiculo traducitur, sive sanguis, sive sudor, sive aliud quodcumque fuerit, magnetem vocant Isthæc [f] sejugata mumiæ portio, semper sympathiam servat cum reliquâ corporis à quo decisa est, propter astrum, quod mumiæ non solum toti præest, sed divisis etiam ejus partibus. Quidquid igitur boni vel mali contigit, derivatæ illi, mumiæ portioni, illud omne cum primitiâ mumiâ communicatur, virtute ac beneficio spiritus universalis, qui præsto semper est. En principia & fundamenta, quibus stant & manent curationes magneticæ.

[a] Etmuler. in append. 105.
[b] Tentzel. diastat. Medic. c. 7.
[c] Helmont. de Magnetic. vulner. curat. 70. 151.
[d] Tentzel. c. 1. Etmul. in append. 106.
[e] Etmul. in append. 106.
[f] Tentzelius c. 1. diast. med. Tentzel. c. 8.

II.

QUEMADMODUM sanis corporibus, sic etiam [g] ægris mumiam assignant, quæ pro morborum discrimine sit omnino differens: hanc ab ægro corpore magnetis cujusdam ope eductam in alienum, plantam nempe vel animal transferunt. Si forte in [h] plantam, morbum traducere sit animus, terram ægrotanti parti admovent ut inde hauriatur mumia morbifica; in terrâ istâ fermento mumiali fœtâ, plantas serunt curando morbo speciatim dicatas; has ægrotantis urinâ, earundem plantarum salibus, citatâ, irrorant; tum plantis crescere, ac vegetari incipientibus, mumiale morborum fermentum corpus ægrotum deseret,

[g] Tentzel. diast. med. c. 1.
[h] Tentzelius diast. med. c. 7. c. 9.

& in plantam ubertim transportabitur. Post [i] istam translationem, plantæ pro cujusque morbi naturâ tractandæ erunt, quippe vel in aquam, dum morbus calidus siccus; vel in ignem, dum frigidus humidus, projiciendæ. Si [k] morbum ut hydropem, podagram, icterum in animal transferre placuerit, sanguinem ægri calentem, in ovi putamine includunt, fovendumque gallinæ supponunt, mox devorandum oggerunt sui, vel cani, in quem indubitanter relicto ægrotante migrat affectus. Eo referri potest ὁπλιάτεια seu magnetica vulnerum curatio, quæ vel pulvere sympathico, vel unguento armario instituitur. Pulvis sympathicus nihil est aliud quàm vitriolum, in sole quo tempore solitus est leonem ingredi per tercentas sexaginta horas expositum. Unguentum armarium conficitur ex usneâ sive musco suspensorum capiti supercrescente, sanguine humano, oleo lini, terebenthina, bolo armenia, &c. [l] Quocumque medicamento sive pulvere, sive unguento placuerit uti, eo telum quo fuit homo vulneratus quotidie afficiunt à cuspide capulum versus, si punctim inflictum est vulnus; ab acie versus dorsum, si cæsim: cum apparet quam alte descenderit telum, partem ejus immersam dumtaxat; cum non apparet, totum omnino telum adornant. Medicatum telum, in loco frigido, si vulnus inflammationem patitur; in calido, si frigida adest intemperies; in temperato, si nihil horum est, continent. Defectu teli sigillum saligneum vulneris cruore tingunt, ipsique remedium adhibent, at non quotidie ut ipsimet telo si adesset. Hæc omnia diligenter si peracta fuerint, hopliatrici illi Medici fore confidunt, ut datâ à vulnerati cruore agendi occasione, pulvis vel unguentun, suam, spiritus universalis ope, virtutem in vulnus immittat, quâ cito tuto & jucunde ad cicatricem perducatur.

[i] Tentzel. c. 7.

[k] Helmont de magnetic. vuln curat. 20. Burgrav. in biolich.

[l] Goclenius tract. de unguent. arm. Joannes Matthæ. de unguent. armar. Papin. de pulu. sympath.

III.

ÆGROTIS corporibus pravum inesse fermentum, sive mumiam, ut vocant, morbificam; mumiæ istius portionem nonnunquam ab ægro homine in alium hominem migrare similemque convehere affectum, libenter dant quilibet Medici; in plantam vel animal, non item. Plantarum, animalium, hominum omnino discrepans atque incongruens natura; trium specierum unicuique suæ sunt affectiones; sui cibi, sua venena; sui morbi, sua medicamenta sunt. Vix reperire queas aliquid quod triplici familiæ æqualiter sit conveniens vel contrarium. Quisquis es igitur, qui tantâ discordiâ minimè deterritus de morbo hominis in plantam traducendo cogitas? fac terrâ parti dolenti admotâ mumiaticum fermentum excipi posse, nec statim dissipari ac evanescere ut fieri debet; fac mumiam istam cum plantis morbo dicatis copulatam, viribus augeri (quamquam ab ipsis destrui potius quam roborari debere verisimile est;) fac plantas urinâ ægrotantis irrigatas vivere ac vigere (quid urinâ tamen ad necandas plantas aptius;) at levis isthæc mumiæ portio eòne virtutis pervenire potest, ut reliquam mumiam copiâ & viribus multo superiorem è fundo proprio nempe ægroto corpore possit extrahere: quanto minus morbum eradicare poterit, si non pendeat is ex fermento solum sed ex vitiatâ partium substantiâ, depravato pororum situ aliisve causis, quæ nullatenus è proprio subjecto possunt in alienum migrare. Quid igitur proderit plantas post imaginariam illam translationem exurere, vel in profluentem projicere, cum causa morbifica nullatenus ab ægroto corpore decessetit. An vero Hydrops & icterus quorum uterque plures, easque omnino diversas habet causas, eodem remedio, eâdem, si fas ita loqui, transplantatione sanabitur? an pleuritis omnesque peracuti morbi tantas moras ferre poterunt, nec ante tot peractas cæremonias jugulabunt ægrotantem. agedum sanguis calens

icterici podagrici &c. in ovi putamine inclusus post gallinæ incubitum sui vel cani porrigatur, unde mumia isthæc morbifica animali recepta, acquirit evocandi morbi facultatem? vim ne ibi majorem adipiscitur? immo debet ibi superari, toxicorum more, quæ exiguâ dosi exhibita, facile subiguntur. Quorsum verò gallinæ incubitus? si gallinam inter, ac mumiam morbificam convenit, cur non in gallinam potius quam canem illa transit: si non convenit, cur inimico calori committunt mumiam, quam servare tamen, & augere viribus volunt.

I V.

QUASCUMQUE vel pulveri sympathico vel unguento armario virtutes affingant, ultro fateantur necesse est, neutrum medicamentum posse partium nobilium, aut socia fracturis vulnera sanare, sistere sanguinem, inflammationem aut dolorem mitigare, extrahere res alienas, hiantia nimis labra adducere & continere, carnium luxuriem exedere, coalescentia citius vulnera remorari, ossium cariem emendare. Hæc omnia Chirurgiæ opem requirentia cum præstare nequeant pulvis, aut unguentum, utrumque ad simplicia vulnera redactum viderint, quæ curari solent à natura quotidie. At, [m] inquient, eximiis suis virtutibus naturam juvant, ejusque in curandis vulneribus functiones mirifice promovent. Quid autem in vitriolo aut unguento est, quo tantopere natura juvari possit, ac roborari. vitriolum est minerale conflatum ex spiritu acido, ex aluminoso sale, & partibus metallicis? quid ibi tam eximium, tam excellens? at in sole per plures horas fuit expositum? quid inde, nisi ut istâ calcinatione etiam cælesti, amittat humorem nativum, quem statim ac à sole removetur, recipere properat. An vero ab unguento armario tanta sunt expectanda miracula: at ipsius misturam subit [n] divina usnea, quæ ex minime dissipatis suspensi viri spiritibus, simulque influentiis cælestibus coalita insignes virtutes obtinet astrales, & magneticas. An vero spondeant suspensum fuisse sanum ([o] sanum enim ut usnea valeat, fuisse volunt) sed in miseris, etiam sanis dum ad patibulum semi animes ducuntur, quam pauci, quam languentes spiritus, & spirituum istorum tristes reliquiæ, inclementiæ aëris obnoxiæ, morti superesse poterunt, ut usneam longo post tempore succrescentem foveant ac generent. Ultimum perfugium erunt astrorum influentiæ: hæ (si tamen ullæ sunt] paratum, fatentibus ipsis, subjectum requirunt: an suspensi excipiendis ipsis ita sint habiles, merito dubitatur. Porro medicamenti virtus, quantacumque sit, quomodo cum vulnere communicatur. Spiritus universalis ibi commodùm se offert, qui ipsam superatis obviis quibusque obicibus in quamvis distantiam deferat. Hanc transportationem juvant, [p] phantasia medentis, medicamenti vim ad vulnus dirigens, [q] phantasia ægrotantis, virtutem sanguinis balsamicam alliciens; [r] phantasia sanguinis ad corpus unde prodiit, redire properans; quin & sua est [s] unguento phantasia, qua sanguini dominetur. Tantæne Medicis magneticis nugæ? quid (quod sine periculo fieri poterat) vetabat ipsi vulneri medicamentum imponi; sic spiritu mundano, totque phantasiis carere potuissent; sic, quam reddere nequeunt, reddere rationem non cogerentur cur soli telo non vestibus, non indusio medicamentum adhibent? cur à cuspide capulum versus telum medicant, si punctim inflictum est vulnus; ab acie dorsum versus, si cæsim? cur sanguinis telo hærentis tantam habent curam, cum in vestes, aut in terram effusi, quasvis injurias patientis multo majorem copiam negligant? cur defectu teli lignum eligunt salignum potiusquam aliud quodlibet? cur denique lignum illud salignum quotidie, quemadmodum telum medicare non est opus.

[m] Papin. de pulu sympath.

[n] Helm de mag. vulne. curation. 44

Daniel Becker. de unguent. armar.

[o] Tentzel. c. 2. Diast. Medic.

[p] Helm. de sympath. mediis 614

[q] Goclenius tract de unguent. armar.

[r] Helm de magn. vulner. curat. 166.

[s] Helm. de magnetic. vulner. curat. 140.

V.

QUI mixtorum ſympathias ac virtutes, per aſtrorum influentias aperiunt, obſcurum per obſcurius explicant; qui curas morborum magneticas per ſpiritum univerſalem negotiantur, effectum haud poſſibilem, per imaginariam cauſam inſtituunt. An ſpiritum hunc ſatis ſtabilitum putant quod [t] initio mundi ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, quodque mundum hunc eſſe [u] magnum animal volunt cujus anima ſpiritus ille ſit. At in animalium corpore cum ſit confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia, quare in magno illo animali nempe mundo, tot diſſenſiones, tot antipathiæ? quare ſpiritus ille univerſalis, tam intelligens, tam rerum omnium quæ in universâ naturâ fiunt gnarus; cum anima in corpore proprio, ignara quid agatur, cæcutiat? tot futilitates, tot figmenta tolerabilia eſſent, ſi ſolidi quidpiam haberent omnia magnetiſmorum ſympathiarumque, quibus ſtant curationes magneticæ exempla ac teſtimonia. An vero rei dubiæ fidem faciunt [x] hiſtoria naſi adſciti, à bajuli brachio mutuati & longo poſt tempore ad bajuli mortem, putreſcentis, ac decidentis: hiſtoria [y] fœminæ, arthriticæ ſubito factæ, quod in ſellâ ſediſſet in quâ ſediſſet olim frater ejus arthriticus: [z] hiſtoria viri inteſtinorum tormina toties patientis, quoties uxor ejus eſſet parturiens &c. Nec veræ magis ſinceræque ſunt experientiæ: [a] magnetiſmus canis dominum deſerentis, ut alteri panem ſudore ſuo madentem porrigenti, addicatur; [b] nutricis mammæ illico exareſcentes, ſi lac emulctum in prunas injiciatur; [c] ſumma podicis uredo, ſi candente ferro tangantur alvi fæces &c. Hæc infinitaque alia, cum experiri lubet, reperiuntur mendacia. Magnes cujus nomen tot magnetiſmis prætexunt, virtutem habet quam in dubium revocat nemo: curationes magneticæ cur tantopere controverſæ, ſi tam certæ atque exploratæ ſunt, quam magnetis actiones? denique ſpectentur agendo magnetici illi Medici, tam magnifica promiſſa ad nihilum recidere comperias. Quod ſi poſt vanas illorum cæremonias, & magneticam tractationem, morbi quidam fuerint ſanati, poſt hoc, non propter hoc, ſoliuſque naturæ beneficio tunc ſanati cenſendi ſunt.

[t] Geneſ. c. 1.
[u] Papin de pulu. ſympath. Goclenius tract. de unguent. armar.
[x] Helmont. de magn. vuln curat. 23.
[y] Helmont. de magnetic. vulner. curation. 53.
[z] Barthol. centur. 6. obſer.
[a] Helmont. de magnet. vuln. curat 27. Etmul. in append. 106.
[b] Digbæus de pulu. ſympath.
[c] Helm. de magnet. vulner. curat. 21.

Non ergo morborum dantur curationes magneticæ.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Michael Pichonnat.	*M. Joannes Daval.*	*M. Nicolaus Lienard.*
M. Franciſcus Picoté de Beleſtre, Scholæ Profeſſor.	*M. Claudius Quiquebeuf,*	*M. Philippus Douté.*
M. Nicolaus Bailly.	*M. Bertinus Dieuxivoye.*	*M. Nicolaus Morin.*

Proponebat Pariſiis ARMANDUS JOSEPHUS COLLOT, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.